



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Felicem Et Petrvm Episcopos. Felici & Petro sacris interdicit ob non exhibitum Gradensi archiepiscopo obsequium; eosque sub excommunicationis poena Romam ad ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

nem. Quæ omnia ideo gloriæ tuæ nota fieri volumus, vt il-
li ad apostolicam sedem, sanctamque Synodum occursu-
ri, liberalitatis tuæ adminiculis sustententur, sumptibus
que locupletati laborem itineris facilius ac leuius ferant,
secundum pios principes, qui in talibus munifice semper
erant intenti. Hos autem quos hac auctoritate apostolicæ
praesentandos sedi decreuimus, quia tertio iam commo-
niti hucusque occurrere contempserunt, Romam diebus
Februariis fore venturos decreuimus, nisi forte instanter
properare delegerint. Porro post Februarias tamdiu sit
vnuſquisque ipsorum cum fautoribus suis excommunica-
tionis vinculis innodatus, quamdiu ad sedem apostolicam
non occursens, nullam idoneam super se rationem regula-
riter exhibuerit; sciens se anathematis postmodum senten-
tia ferendum. Data Kalendis Decembris, indictione x.

Principum
in episco-
pos muni-
ficentia.

EPISTOLA XVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD FELICEM ET PETRVM EPISCOPOS.

Felici & Petro sacris interdicit ob non exhibitum Gra-
densi archiepiscopo obsequium; eosque sub excom-
municationis poena Romam ad Concilium venire, &
si impediti fuerint, vicarios mittere iubet.

Ioannes, Felici & Petro episcopis Mandanencis, & Equileni.

QUAM ingrati & inhumani fueritis erga reuerendum
fratrem nostrum Petrum ecclesiae Gradensis antistitem,
in hoc maxime datur intelligi, in quo ille pro legi-
bus paternis incolatum arripiens, nullum vestrum comi-
tem suæ peregrinationis habere promeruit: præsertim
cum ad limina sit apostolorum profectus, sedemque adie-
rit, vbi semper catholicis subuenitur, & vbi plurimi san-
ctorum iniuriam passi petram, a qua Petrus nomen for-
titus est, refugium inuenerunt. Additum autem est huic
rei, quoad maioris contumaciae vestrae cumulum demon-
strandum; quia scilicet non solum cum illo stantes secun-
dum prophetam, *Minime ex aduerso ascenditis, & opposuitis* Ezech. 13.
murum pro domo Domini: sed quasi rebelles rupto vnanimita-
tis foedere transiit ad hostes; & cum non sitis cum illo, fa-
cti profecto estis aduersus illum, sicut Dominus ait: *Qui non* Matth. 12.

Ab aposto-
lica fede ca-
tholicis së-
per subue-
nitur.

est mecum, contra me est. in quo & ipsam bestiarum transcendit sicutiam, parricidalibus aduersus eum videntes consiliis: pro quibus omnibus apostolatus nostri vos Romanum occurrere, & pro his & aliis quæ corrigenda duximus, satisfacere, non semel apicibus commonuimus, sed venire hactenus modis omnibus contempsistis. Quapropter vos a sanctis mysteriis interim celebrandis auctoritate summi pastoris arcemus, iubentes, ut Idibus Februariis istius inductionis, si adestis, vel si duræ infirmitatis pondere non grauamini, Synodo nostræ Romæ celebrandæ interesse inexcusabiliter maturetis: quatenus & ab obiectis purgemini, & a capite, tam scilicet apostolica sede, quam metropolitano vestro in nullo diuidamini: Ne (quod absit) circumueniamini a satana, qui videlicet semper dissensione gaudet: membra quippe, quæ capiti non harent, inter mortua deputantur: ficuti procul dubio vos, qui nec apostolicæ sedis, quæ est caput omnium Christi ecclesiarum, decretis hæretis, nec affectui metropolitani proprii, & patroni atque magistri. Iam vero si Idibus saltem Februariis occurrere contumaciter paruipenditis, tamdiu esto posthac omnis ecclesiæ communione una cum vobis fauentibus alieni, quamdiu venire ac satisfacere super quibus impetimini, non curatis. Ecce enim venerandos forte Canones tenetis præ manibus, qui tales sanciunt non communicatores, donec purgentur. Porro si quisquam vestrum nullo modo se posse venire prætenderit, vicarium suum mittat, qui & mittentem se iure iurando excuset, & in Synodo vicem mittentis adimpleat. Data Kalendas Decembris, inductione decima.

EPISTOLA XIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD DOMINICVM ELECTVM EPISCOPVM
TORCELLENSEM.

Inuehitur in Dominicum electum episcopum, quod bis vocatus Romam non accesserit: eumque, nisi venerit constituta die, excommunicat.

Ioannes, Dominico vocato electo Torcellensis ecclesiæ.

QVIA fama crebrescente Torcellensem inuasisse dicebaris ecclesiam, semel & bis decreuimus, te Romanum ventu-